

Bibliothèque numérique

medic@

**Girard, François - candidat / Pelletier,
Nicolas - président. - An magnis
lienibus ferrum.**

1675.


***Paris : Apud Franciscum
Muguet, Regis & Illustrissimi
Archiepiscopi Parisiensis
Typographum***

Cote : ms 2323 n°22



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax02x0022](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax02x0022)



QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM.

Die Jovis 5. Decembris.

M. NICOLAO PELLETIER,

DOCTORE MEDICO, Præside.

An magnis lienibus ferrum.

I.

NATURÆ circum nutritionem cura, quas huic operi præfecit partes, ulli perfectorum animalium generi deesse non sinit. Omnibus liene instructis, aliàs ampliori qualis in quadrupedibus, aliàs exiguo qualis in avibus animadvertitur; Insignis hujusce visceris à naturâ penuriam, ab arte jacturam, infelicioris in animalibus vitæ semper voluit esse parentem. Lien pars est substantiâ molli & laxiore, figurâ ad pedis humani plantam effictâ, lurido colore, acerbiusculo gustu, sinistrum, ubi naturali sede coërcetur, hypocondrium occupans, diaphragmati ventriculoque substrata, costis inferioribus apposita, rene superior. hanc si melancholicus humor nimium distendat, nulli tunc obnoxia figuræ, tantam in molem accrescit, ut toto vix abdomine contineatur; Sursum versus elata respirationem ingeminat, deorsum impendens, vicinas gravante sarcinâ partes urget, obfistens cum duritie ac indolentiâ tangenti schirrum, cum febre ac dolore splenitidem arguit, citra febrem duritiem doloremve tumida

A

SUPERSTITES ab elaborato sanguine particulas in varia loca fecernere, prudentis haud minus naturæ fuit, quàm diversas alimentorum species in unum congeffisse ventriculum: accommodatam partium structuram atque temperiem ad illud operis sibi miniftras afcivit; quarum utriufque concurfu reliquæ fanguinis cribro quafi transmiſſæ purgentur; ſerum per renes, per felleam cyſtidem bilis, per lienem melancholicus humor: huic ab eodem viſcere muneri apprimè ſatisfacit, ubi temperies ipſius idonea convenientem fibrarum, quæ compagem ipſius conſtituunt, ſtructuram adjunctam habet, atro humori ſecernendo, eidemque per viſces, cùm veſicam, tùm in inteſtina poſt modum excernendo famulantem; quorum utroque ſi deſtituatur, alterutrove non inſtruatur, illabente bibulum in viſcus inſigni humoris melancholici copiâ nec elabente, mirum quantum intumeſcit; inde tot ſoboleſcere morbos à feriente ſplenis in ſecernendo munere, quot inquinari partes ab humoris exitum non habentis in diverſa loca refluxu, nuſquam, niſi poſt reſtitutum à chalibis uſu lienis tenorem, coercendo.

FERRUM antiquiſſimi apud medicos uſus, impurum eſt metallum plurimâ terrâ conſtans; huius ſimplici, quæ veterum erat, exquisitiori, quæ recentiorum eſt, præparatione chronicos expugnatuque difficiles affectus edomare non inſuetum: ætate ſuperiori chalibem inſuſum ulterius urgere notum non fuit, noſtrâ quæ curioſior & cautior non niſi variè cruciatum adhibere perrarum; alii ſcobem ejus, validiſſimo quem vocant igne reverberii torquentes, croceum pulverem efficiunt; affuſis alii corrodentibus aquis tenuiſſimas illum in particulas dividunt; admoto ſulphure nonnulli minutum in granula ferrum exhibent: alienas tamen à variis uſtrina Chymicæ tormentis vires illud mutuari ne crede: quod ingeniâ virtute ſpoliari neſcium; adſtringenti novum robur addis, ubi chalibem igne vehementiori premis nuſquam ab adhibito ſulphure degenerem; quod ſulphuris in

3

auras abiit, fictitiæ facultatis est, quæ fax ab eodem combusto superstes & exsucca, nullius, terram semper sapit ferrum, astringet semper, inde uberiores humoris melancholici copiam absorbet: hinc conciliatâ spleni cum temperie structurâ ejusdem excrementi promovet excretionem.

I V.

DUPLICIS quæ ferro inest virtutis, altera visu, altera gustu iudice dignoscitur; priorem, quæ crassiusculæ ferri substantiæ individua comes est, cum subit melancholicus humor raræ veluti spongiæ imbutus in lienem ultra non effunditur; acetum cujus indolem iste succus æmulatur in terram effusum absorberi, nec nisi lutulentum emitti vides, humorem melancholicum in crassiores ferri particulas illapsum vide, quarum spissitudine impeditus ineptos offendit admittendo sibi angustiores bibulæ lienis substantiæ meatus nullâ deinceps viâ commodiùs quàm per intestinorum ac vesicæ ductus unâ cum cæteris, quæ nigro fortassis inficiet colore, recrementis egerendus: quæ iudice gustu percipitur in ferro vis altera, in gratâ quadam adstrictione consistit, partibus omnibus lienem vero potissimum amicâ, quam eporæ ferro divites aquæ referunt; posterioris hujus tanquam auxiliatricis manus ope compressus lien, addito per stypticam ferri facultatem novo robore, pristino muneri redditur, susceptum humorem atrum per aptam fibrarum suarum intercapedinem trajectum repurgat, turgidus in posterum ab humore melancholico vix aut nunquam futurus.

V.

MAGNO lienem revera succurrere noluerit, & oriundis inde symptomatis quam pluribus occurrere, qui ad fundendum & è superioribus & ex inferioribus artubus sanguinem iteratamque catharsim tantummodo recurrerit, in affectus hypostropiasmum haud dubiè facturos incurret quisquis unicam apertæ venæ sanguinis minuendi exhibitæque purgationis humorum impuritatis emendandæ viam decurrerit, eorum in lienem impetum ad tempus aliquod arceat, tumidum in splene imperium exercentes succos non coer-

cet. Illapsuri in lienem humoris melancholici vias intercludere, parum, illapsi ductus recludere, ne post hæc remeet occludere, punctum est. Impositam turgido visceri sarcinam nova in dies reponenda materia graviolem futuram supponit, at immaniora postmodum symptomata supposituram disponit; ubi maximè nativum lienis robur fuso prius sanguine repetitâque catharsi fuerit infractum; illa in usum revocare primum artis est, hoc in refarciendo lienis renore suppreum; retusis crassiore ferri substantiâ humoris melancholici aculeis constrictas ejusdem ferri stypticâ facultate lienis fibras secernendo excernendoque atro humori habiles efficere.

Ergo magnis lienibus ferrum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Guido Crescentius Fagon,
familia Regina Medicis ordinarius.
M. Iacobus de Bourges.
M. Petrus Legier.

M. Ioann. Bapt. Ferrand.
M. Carolus Marteau.
M. Antonius le Moine.

M. Ioannes Armandus
de Mauvillain.
M. Bertin. Dieuxvoje.
M. Stephanus Bachot.

Proponebat Lutetiæ FRANCISCUS GIRARD,
Blesensis. A. R. S. H. MDCLXXV.

PARISIIS,
Apud FRANCISCUM MUGUET, Regis & Illustrissimi
Archiepiscopi Parisiensis Typographum.